40439 P

Ferguson II. 81
Thorndyke VIII. 387-8

not in Durham, Wellcome, BLC

PANACEA MIRABILIS,

Corrigendi potiſſimùm vitioſi Sangvinis,

Seu

QUINTA ESSENTIA AURI, RARÆ VIRTUTIS.

In uſum veræ Medicinæ Chymicæ Studioſorum, & Proximi emolumentum edita

à

GEORGIO FERDINANDO PERNAUERO
L: B: de PERNEY.



Ratisbonæ, Literis Dalnſteinerianis, An. 1679.

222000 87649
347408

Lector benevole.

NOn magnum conſequendi nomen animô, hoc opuſculum in præſens edo, quod aut prorſus non, aut tardiſſimè vidiſſet lucem, niſi graviſſimæ id Cauſæ, à repugnanti ſimili quaſi extorſiſſent. Primò enim Excellentiſſimorum, magnorumq; Virorum, & ſingularium nonnullorum Amicorum me movére Conſilia, petentium, ut quæ mihi Deus largitus, in proximi verterem ſalutem, nec tantum naturæ Theſaurum, qui innumeris mihi conſtat lucubrationibus, (ut taceam ſumptus) cujusq; miram vim non ſolum eorum quos dixi, amicorum, ſed & ignotorum hominum quàm plurimorum ex graviſſimis convaleſcentium morbis, cura & ſolertia probavit, diutius celarem: medicinam nempe quam verius Panacéam dixerim, in

non paucis jam Germaniæ terris cum admiratione probatam, ſvadent amici in Dei publicare gloriam, in minimis rebus ſuam ſæpe demonſtrantis omnipotentiam, & efficere, ut non ſit, qui tantum Dei donum, tantum ægrotantium pharmacum commodumq́; ignoret longius. Altera ratio quæ me adhoc impulit propoſitum, eſt, quorundam temeritas, vim auri abſconditiſſimam negantium, aut ad minimum non medicamentis applicandam ſibi ſtolidiſſimâ pertinaciâ perſvadentium: In magis ridicula verba nonnullos jactantia abripuit, meam Medicinam parare ſe poſſe profitentes publicé: Et his audaciores adhuc audivi, qui ſuis medicamētis, & Salibus, aut oculis forte cancrorum ſimilibusq́; eandem naturam tribuunt & efficaciam. Ne ergo tam improbi ſeductores me non ſolum vivente, ſed liberius forte adhuc poſt mortem meam credentibus illudant, & nullius rem pretij pro ſalubri hoc medicamento ſubdolé vendentes ipſius

pſius rei præſtantiam improbo mendacio minuant, neceſſarium omnino duxi, has hôcce opuſculo impias quorundam fraudes detegere, bonaq́; fide publicé hic proteſtari & fateri, quod apud neminem mortalium, præter me inveniatur aut poſſideatur hæcce medicina, ſed quod unus Ego & poſſeſſor verus Authorq́; ſim hoc tempore. Nec verò tàm lucri cauſsâ ea abs me parari ſolet, ſed ut proximo ſerviam ægroto in DEI gloriam, utpote qui caſu magis quàm conſilio eam inveni olim, aliud cùm quærerem. Pleniorem autem ejus cògnitionem Lector ex ſequentibus facilè intelliget, una cum virtute ejus & vi mirificâ, ſapore item & colore.

Ut verò de ijs, quæ intuentium ſtatim oculis objiciuntur, primo diſſeram locô, pulvis eſt colore candidior nive, quolibet liquore ſolubilis: Hinc dici meridiani Jubar Solis meretur. Hic enim (quem æq́; bene eſſentiam Solis dixero) inſtar Solis primo mane rubris emergentis radijs, meridie autem ma-

 jori

jori operandi efficacia candeſcentis videtur quidem albus, virtute autem quam colore longe præſtantiori aurum potabile rubro colore conſpicuum ſuperans: Convenientiſſimo nomine dici poterit Panacea Solaris: veteribus enim Panacea Sal erat, quod hîc maxime occurit; Solaris quia omnem ſubſtantiam ex Sole habet; Amaro aliquo rigore & ſalſo lingvam perſtringit, ſub quo corpore ſalis cœleſtis hic Spiritus palpabilem ſe viſibilemq́; præbet, & ut paucis multa complectar, ignis purus & quinta eſt eſſentia, qui morbos quaſi ſtramen flamma, ſubitaneam ſalubritatem inſinuans maſſæ ſangvineæ, uno impetu conſumit, naturam corroborat juvatq́; mirè. Sed ut tertio effectum ejus tangam, Medicina eſt contra omnes quidem morbos, præcipue autem ſudore & diaphoreticis pellendos & curandos.

I. In ſpecie autem quantum adhuc conſtat, & innumerorum experimentis Illuſtriſſimorum Virorum aliorumq́;

rumq; hominum (quos hic nominatim recenſere ſapervacaneum duxi) ſalubritatis ejus promptam ſemper ſingularemq́; vim mirantium, habitum eſt pro præſentiſſimo contra venenum remedio, tam præſervative quam curative adhibendum, dignumq́;, quod ab omnibus proficiſcentibus potiſſimùm ſibi comparetur, tanquam præſentiſſimum contra morbos auxilium, quod non itineris atteratur incommodo, nec temporis ſpatio aliquid virium perdat. II. Peſti reſiſtit, luesq́; mire abſumit atq́; corrigit. III. Certiſſimum ſpecificum & appropriatum contra omnes cujuscunq; generis, putridas, malignas, ardentes, & alias intermittentes &c. &c. febres eſt, ſi paulò ante paroxyſmum ſumatur, ſudorq́;, quem mox excitat, ſequatur. IV. In omnibus Corporis affectibus & malis, in quibus ſudore opus, E. g. in lepra, lue venerea, apoplexia, pleuritide, Hydrope, tumore, Leucophlegmatia, catharris, cachexia &c. ſaluberrimum remedium eſt.

V. Rigorem minuit, quietem reparat, morbos per inſenſibilem tranſpirationem diſſolvit, aliaq; id genus plura præſtat, quibus commendandis ſuperſedeo; quod ſua virtute jam notum ſatis ſit (ut memoravi) & à pluribus indies, qui mortis evaſére periculum, magis magisq; id extollatur atq; commendetur. Podagricis quoq; ſalutare eſſe, vel inde Medici intelligent, quòd omne alienum & vitioſum pellat ex maſſa Sangvinea, quid ni ergò & ſpiritus ſalinos & tartareos? Maxime ſi medicamentum aliquod Hemeticum præceſſerit. Nec dubito alijs & pluribus etiam morbis ſalutare & proficuum eſſe, cum vires ejus ipſe ſatis nondum exploraverim, nec mihi rem Medicam non profitenti aut exercenti placeat multis adeò experimentis id tentare ſolicitè. Palato gratus liquor eſt, tamq; lenis, ut infantibus, puerperis, alijsq; viribus deſtitutis propinari poſſit quam tutiſſimè, adeò, ut ſi quidem ex occulta cauſa non omnes ſtatim liberet

à

à quovis morbo, nemini tamen, ne infantibus quidem noceat. Si enim omnibus non prodeſt, aut mala ſtatim tollit, ſciendum, id medicinæ huic per ſe non tribuendum, ſed Deo ſæpe repugnanti, naturæ, per occultos ſiderum influxus reſiſtenti, aut vitio forte alicui hæreditario & incurabili, aut corruptis prorſus viſceribus principalibus corporis. Vel id ſatis eſt, quòd vitioſum ſangvinem mox corrigat & alteret, & ſi per fata, & occulta alia liceat, ſanet. Quòd ſi primâ vice expugnari malum nequeat, expugnabitur certiſſimè, ſi tertiô die alterâ vice panacea hæc ſumatur. Operatio ejus varia pro variis naturæ actionibus & paſſionibus, humidum cumprimis naturale, balſamumq; vitæ, flammâq; vitalem purgat, & conſervat confortando, urgente autem morbi violentia, ſæpe celerius etiam auxilium ſuppeditat. Uſitatior ſudore operatio percipitur, nec refert quò vehiculò utaris, modò convenienti. Aqua ſtillatitia, vinum, juſculum commode adhibentur:

tur: præcipuè ea videntur ſvadenda, quæ promovent ſudorem. Horâ ante Paroxyſmum in febribus, ſaluti eſt quàm maxime, neceſſitate autem moram vincente, omni tempore poteſt recipi. In febri quartana purgatio aut vomitaria recte præcedere poſſunt. Præſervative uſuris pro tuenda ſanitate, commodiſſima hora matutina quarta aut quinta eſt, aſperior autem aër cavendus, quando ſumitur hæc medicina; Serenitatem enim noſter hic Sol quoq; amat. Domi ergo manendum ei, qui proſperos ſucceſſus optat, ne Boreæ experiatur flatus: diæta etiam obſervanda accuratior: inprimis vitandus uſus cereviſiæ.

Doſis ſequens eſt: Infantibus, prout fert ætas, 2. 3.4. grana, adultis 6. 7. nec non 8. contra Peſtem, febrim quartanam aut Podagram 9. 10. & forte plura etiam permittuntur, quia nocere nulli ſolet.

Atq; hæc ſufficiant de uſu huj9 Medicinæ, omiſſis etiam omnibus exemplis,

quæ

quæ magno numero hunc ea utendi modum & mirificam vim & operationem comprobare luculentius poſſent, ne oſtentare me, ſed (quod verius) proximo inſervire magis videar.

In publicum autem edere hoc Arcanum, & verbis quidem planis & perſpicuis non dubitarem, ſi mihi polliceri poſſem, eundem ac mihi cæteris fore animum, ſed mundum novi, & fraudes ejus, & quod pauci Dei gloriam & proximi utilitatem quærant intendantq́;. Ergò ſecreta non nihil ratione id tradere nunc viſum eſt & verbis obſcurioribus: Eandem verò ad hoc inveſtigandum ſternere præceptis viam ſapientiſſimi Philoſophi aggreſſus ſum ductu. Non recuſo, ut invidiæ crimine liberer, meiq́; animi deſiderium expleam ſibi maxime optantis ejusmodi ingenia, (quæ forte non deerunt) quæ majores meis adhuc fructus inde hauriant percipiantq́; Sapientiam tanto dignam duce Magiſtro, qui me docuit, *quod In Sale & Sole naturæ ſint omnia.* Hanc

Hanc autem ſententiam examinaturo ſapientum, ſciendum, modernam curandi rationem, ratione veteris illius, firmiſſimis nixæ fundamentis, & experientijs probatiſſimis, vix umbram eſſe.

Unde hanc medicinam ignis puritate præ cæteris ſpectabilem ſoleo charactere ⊙ deſignare, Philoſophis aliàs vel ſignificante Solem, vel orbem, nec non aurum potabile. Circulus enim cœleſtis Solis influxum in terram denotat, qui per punctum in medio exiſtens deſignatur, terrenæ & fixæ naturæ eſt: Carcere tamen quaſi circumſcriptus, ex quo vim prius exerere non poteſt, quam Magneſiæ vinculis liber prodeat in lucem.

Et ne quis inficias eat, *quod in Sole & ſale ſint naturæ omnia*, diſcendum, aurum, quaſi inferiorem & Elementorum ſolem, eſſe verum receptaculum virium ex ſuperiore defluentium mundo, huic metallorum præſtantiſſimo incluſarum. Hinc Philoſophis pro-

ver-

verbium: *Aurum eſt omnis natura.* Quemadmodum enim cœleſtis illeSol, totius Cœli centrum, ſtellarumq́; Rex eſt: Sic Aurum medium ac centrum, Sol quidam & Rex metallorum, rerum creatarum poſt hominem potiſſimum in Regno mineralium nobiliſſima, maximas ob virtutes valde mirabilis; nil enim malignis ſyderum influxibus, unde tantis morbis origo, efficacius ſe opponit ac Aurum. Et certum eſt: *Aurum eſſe omnium magiſteriorum parentem, ſpeculum myſteriorum Dei, receptaculum ſecretorum; luminis naturæ ſubjectum, & inſtrumentum omnium tam naturalium quam ſupernaturalium virtutum.* Verùm Aurum non qualecunq́;, non vulgi illud intelligo, ſed in ſpiritualem eſſentiam, noſtrâ arte translatum. Unde & Paracelſus probe advertens, aurum omnium quæ in mundo dantur, rerum, eſſe conſummatiſſimum & perfectiſſimum (*uni enim nil deperit auro*) nulli ſuperſedit labori, quo minus accurate & artificioſe pararet.

ret, puriſſimum ab impuriori ſeparans. Nec aliud quærunt veri Chymici arte ſuâ, quàm auri perfectionem promovere, & ad ſupremum perducere gradum, illud materia & corpore privare, in ſpiritualem, cœleſtem aëreamque transferre eſſentiam, earumq́; virium comparare medicinam, quæ deſperatiſſimos quoq́; morbos curare pellereq́ue valeat.

Hinc falluntur, quotquot aurum ægrotis non præcedente ſeparatione dare ſolent, iſta autem ſeparatio fieri nequit niſi beneficio univerſalis noſtri Spiritus, per aquam illam noſtram omnium expoſitam oculis, paucis tamen notam. Extra dubium enim eſt, illos, qui aurum modo debitô ſolverunt, non ope ſolutionis violentæ, illud aſſecutos, juxta quorundam Pſeudo-Chymicorú vanam jactantiam, ſed vi naturalis ignis & reconditi, aceti deniq́ue vere philoſophici, & virtute Spiritus iſtius nunquam quieſcentis, (Natura enim inhæret naturæ) vel Solis

Her-

Hermetici & Pythagorici, naturæ filijs non ignoti id perfeciſſe. Hac ergo ratione vitalis auri vis in vegetantem eſſentiam transfertur, & ſic meretur dici fermentum præſtantiſſimæ medicinæ, inveſtigatæ à multis, ab admodum paucis acquiſitæ & inventæ,

Hoc opus, hic labor eſt, pauci quos æquus amavit
Jupiter &o. &c.

Quomodo autem ſit procedendum, quis ille aqueus ignis, quæ ignea aqua, eam penetrans duritiem auri, ut ſolvat, liquefaciat, mutet, vertatq́; in eſſentiam naturæ gratiſſimam, ex ſequenti diſcurſu, qui & materiam & Spiritum incorporeum exhibet, patebit.

Facta à Deo ter Optimo Maximo ex principio actuali, vel juxta quorundam ſententiam ex chao, puri ab impuro ſeparatione, purum in duas iterum puras diviſit partes, quarum purior firmamentum abſolvit cum Planetis innumerisq́; alijs Stellis: Ex impuriore phyſica corpora nempe quatuor

tuor Elementa creavit, ex quibus reliqua quotquot ſunt corpora mixta eſſe ſuum habent, vim, vitam & motum accepêre & accipiunt, & quidem ope puriſſimi prorſus Spiritus, imo quinti Elementi, quod natura miranda induſtriâ extrahit colligitq́; ex iſtis, quod jam objectum & norma divinæ propè noſtræ artis.

Terra rerum omnium mater ſuppeditat nobis iſtam quam prius à tribus Elementis fratribus ſcilicet ſororibusque ſuis accepit materiam: Elementis quippe continuò invicem laborantibus operantibusq́;: En tibi tria Principia, quæ efficiunt, Sal, Sulphur, & Mercurium, media certe inter Elementa & metalla: Natura enim metalla dedit non immediate ex Elementis, ſed mediantibus tribus ſupra dictis produxit.

Terra igitur Elementorum ultimum, quippe quod non habet in quod operetur, in viſceribus continet quidquid cætera produxerunt, potiſſimum in-

intellige tria principia. Ergò verè mater dicitur Terra, accipiens cæterorum virtutis efficaciam, quam ingerunt in ejus ventrem, ſemen ſpargentes, quod retro pellit Archæus, & ſublimat in circulo rotundi corporis, aëre, igne, aquâ & terrâ, caliditate & ſiccitate, caliditate & humiditate, frigiditate & ſiccitate, frigiditate & humiditate conſiſtentis. Caliditate & ſiccitate, quia à natura ignis ſapore ſalſum, & mordicans: Caliditate & humiditate, quia ab igne tactum illico inflammatur, & aëris inſtar avolat. Frigiditate & ſiccitate, quia forma lapidis terreæ naturæ apparet. Frigiditate & humiditate, quia colore ſummè album & ſplendidum, & exinde aqueæ proprietatis & naturæ eſt. Hinc propter frigus adjunctum ſangvinem terræ ſic afficit, ut media æſtate frigidiſſima terra exiſtat.

Liceat hic mihi exclamare!

Arrige aures Pamphile, & nullo docente meam medicinam parare noveris. Congelatus noſter aër, quo in vita

carere nequimus, inventu ubiq; facilis familiaris uſu omnibus, notus tamen paucis eſt.

Hoc tamen certum, quod recepta culum ſeminis aquæ mineralis ſit hic aër, ſed congelatus aër, cœleſtis aqua qua non madefiunt manus, nota & non nota Hyle, ex qua extrahitur virginea noſtra terra, & tunc nil ſupereſt quam ut iſte conglaciatus aër philoſophice abeat in aquam, in qua decima pars parati ſolvenda auri. Tùm Hermetice occludenda iterum, & noſtra in fornace igne noſtro coquenda: Et hæc erit fermentatio ſeu conjunctio Butyri ſolaris noſtri, cum maſſa parati Mercurij ſeu aquæ noſtræ, quæ à ſe ipſa nil producere ſola valet, quanquam omnia potentiâ in ſe contineat, & reverà nil aliud, quàm terra ſit, cui inſerendum puri tritici granum.

Quanquam autem de hoc Spiritu universi ejusq; ſpecificatione hoc ſufficere poſſet, plenius tamen forte intellecturis præbebo anſam ulterius ſcrutandi;

tandi, quod non minus jucundum, quàm utile eſſe poteſt. Sciendum ergò, quòd noſtra materia ſit aër, ignis, ventus, ſal, mare, aqua, Sulphur, Mercurius, mons, vallis, & in nobismet ipſis inveniatur. Loquor autem more Chymicorum, & hæc veriſſima ſunt. Sed dices: quomodo hæc omnia uni convenire poſſunt? ℞. Sapientum conſtans Sapientia: *Ignem absq; aëre, à quo nutrimentum accipit, conſiſtere non poſſe.* Et hoc vult Hermes, ubi agit de humiditate, fumum vel quemlibet quoq; vaporem ignis proximam actionem eſſe, aſſerens. Hinc eſt, quòd ſubſtantia ejus hærens in aëre fit aqua, & ſic conſervatur (quod illi probe advertere debent, qui aquis ineſſe inquiunt) qui ab impetu venti tanquam immediatus naturæ filius in ventrem terræ dejectus, de novo chaos permovet, nempe aërem, ibidemq; ignem excitat centralem, à quo ſeparatio omnis, purificatio, coctio, calor, & deniq; oritur maturitas omnis generis ſeminum,

ea immittendo matricibus ſuis, ſive ſint puræ ſive non, & hoc inter mixta facit diſcrimen.

Ex ſupra dictis elucent actiones trium principiorum, Sulphuris nempe per ignem, Salis per aërem, per aquam Mercurij: Horum quaſi vinculum ventus eſt, diverſas diverſorum Elementorum conglutinans materias; nam vehiculum quoddam eſt, ſicut & univerſalis Spiritus promotor. Quippe nulla creatura gauderet ſpiraculo vitæ absq́; hujus ope Spiritus, nec hic communicare ſe poſſet, niſi vento mediante: Quapropter Vir pietate philoſophicâ inſignis Job. cap. 7. vitam comparat ſuam vento, nec nos viventem ventum dubitamus Spiritum animamq́; appellare, vivus nempe dicitur, factâ corruptionis experte conjunctione. Quanquam autem arctiſſime anima & ſpiritus conjuncti ſint, corrupto tamen fragili corpore divelli ab invicem poſſunt: Ergò eſt ventoſus aër, aëreusq́; ventus: Quia autem nil, quod

tria

tria Regna naturæ complectuntur, vivere nec movere ſe ſine aura poteſt, quod in animalibus experimur, defectu aëris pereuntibus, imo in herbis, quæ ex penuria ventorum mox exareſcunt, in promptu argumentum eſt pro metallis, eandem ferè vitam viventibus. Si ergo, inquam, vivere ſine aëre nil poteſt, cur non concluderemus, ſpiraculum eſſe vitæ, omnia permeans, penetrans, movens, implens, dansq́; exiſtentiam, quo producitur univerſalis ille Spiritus ubiq́; incluſus, qui ab ipſo aëre imprægnatus, capax redditur ad pariendum: Hoc præbuit occaſionem aërem Salem appellandi, iſtiq́; inhærendi ſententiæ: quod in *Sole & Sale ſint naturæ omnia*, fluitq́; ultrò inde veriverbium: *nihil Sole & Sale utilius.* Quod autem Sol Sali comparetur, hæc ſuadet ratio, quia iſtius poſterior pater eſt, & hic filius illius. *Pater ejus eſt Sol*, & hic Sol ſumitur hoc loco pro Chymicorum Sulphure.

Nam ſicut in inferiori ſpeciem exhi-

 bet

bet ignis: SicSalis in ſuperiori, nec non quantum intellectus capit, alio adhuc modo, Spiritum Sanctum denotare poſſe videtur, qui in creatione aquis incubaſſe legitur. Hinc ei nomen θεῖον, divinum, quod Salis adjectivum. In Sacris haud rarò Symbolum Sapientiæ (*accipe Sal Sapientiæ*) participans multum de igne, nec igni adeò adverſum. Cui convenit, quod dictum à Philoſopho: *Sal nihil eſt, niſi ignis, nec ignis, niſi Sulphur, nec Sulphur, niſi argentum vivum, reductum in pretioſam illam ſubſtantiam cœleſtem incorruptibilem, quam noſtrum nos vocamus lapidem.* Ex quibus videre eſt, quàm mirè hic Sal aut verius univerſalis Spiritus rerum in ſe omnium contineat principia, & iſta iterum principia, quæ emanant ex ipſis: Quapropter nullum ei nomen non debetur, nam nil refert an comparemus montibus, non rarò ſumptis pro metallis, dicẽte *Calid. Roſinus* vult ex duobus accipi id montibus, ex ☉ nempe & ☽ tanquam maſſa,

rubri

rubri & albi lapidis, vel ex vallibus antrisvé, ſignificaturus ſolutionem ejusmodi metallorum; ſine hac inquit non poſſe intelligi, quid lateat, vel in aqua, terra, mari, igne vel in nobismet ipſis, quod unum idemq; eſt: Eſſentiâ enim non differunt, ſed accidentibus. Ergo duobus his nobis utendum eſt terminis, conceptu intellectui faciliori- bus, usq́; dum virgineam iſtam terram, hactenus hôcce quaſi habitu hyemali indutam, inq́; centro adhuc latentem felici ſucceſſu eruerimus: Sicut *Raymundus Lullius* in Teſtamento rectè ait: *In centro omnium rerum ineſt quædam terra virgo*: Viam itaq́; ſtraturus quomodo terra illa viſibilis reddi, noſtroq́; accomodari debeat intellectui,

Sciendum, hanc ſeparationem fieri debere in vaſe bene clauſo, ne odor penetret, cui *Geber* in *capite de calcinatione* hæc addit: modus calcinationis Spirituum fit in vaſe undiq; clauſo, ne aër ſubintrans inflammationem præſtet: Et *Raymundus Lullius*: Si Spi-

ritus diſpergantur per aërem, quod quæritur, non fiet. Si igitur hæc calcinatio philoſophicâ ratione inſtituenda, nimirum non deſtructô ejus radicali humido, Sal latens illi colendum, quod mox ſe oſtendet, eodem prorſus medio & modo, quo ipſum ſemen, ſic ut ne ullum unquam ſit ibi ignis ſignum, præſertim ſi ex vegetabili ſubjecto, ut amaraco, ſalvia, meliſſa &c. colligatur. Et hæc iſti conveniet opinioni, quod niſi internæ formæ elementarium à cœlo acceptarum compoſitionum deſtruantur, primam materiam, & juxta Philoſophos, veram non poſſideamus.

Sic namq; cognoſcitur terra virgo, vel terrenum factum cœlum, quæ ſubtiliſſimo igne humorem radicalem ab excrementis, quibus noſtra vita periclitatur, purgat.

Hic deniq; eſt Spiritus mundi, hæc præſtantiſſima medicina, de qua Salomon: eſſe ex terris, nec à Sapiente ſperni. Univerſale enim remedium eſt Sangvinis

gvinis redintegrandi & corrigendi ac rectificandi, quocunq́; vitio, vel bilis, vel pituitæ, vel melancholiæ vel ebullitionis, vel ſeroſitatis, vel infectionis, aut alius impuritatis laboret.

Noſtra nempe materia Sal eſt, Sal nempe primum corpus, quod tactu ſentire non licet. *Raymundus* de eo in teſtamento ſic ſentire videtur. *Diximus jam in puncto, hoc eſt centro terræ, latere virgineam terram, quintum in ſe continentem Elementum, quod opus naturæ perfectiſſimum, natura quippe in cujusq́; rei medio ſubſiſtit.*

Sal itaq́; virginea illa terra, quæ nihil adhuc produxit, in quo mundi Spiritus ſe transmutavit. Sal omnibus rebus formam dat, nec quicquam viſui vel tactui obvium, niſi ſalis ope, nil coagulatur ſine ſale, nil induratur absq́; ſale: hoc eſt quod aurum conſolidat, omnibusq́; metallis addit pondus. Ideoq́; artifex (affirmante *Arnoldo*) ſine ſale idem expediet, quod arcus ſine fune.

Hæc

Hæc eſt chryſtallina & alba illa ſubſtantia, quæ coccineum illud ſemen Sulphureum in ſe continet (annuente Turba) mirati ſunt Philoſophi, rubedinem in tanta albedine exiſtere. Sæpius enim dicitur ſal animatum, viva, ſicca & congelata aqua, de qua etiam Moſes memorat Gen. 1. Diviſit Deus lumen & tenebras, & aquas ab aquis, & congelata eſt gutta media. De qua etiam *Sendivogius: cujus Spiritus inviſibilis congelatus melior eſt, quàm univerſa terra.* Ecce nunc veram materiam, quam quærunt Philoſophi, quaq́; ſola ſcopum attingere, finemq́; conſequi queunt.

Ego etiam finem hic meo diſcurſui impono, rogitans benevolum Lectorem, ut benignè, quæ ſcripſi, accipiat, cogitetq́;, me nullum exinde ſperare fructum, multò minus erudítiores inſtruere voluiſſe, quod longe majorem me cognitionem alios habere non ignorem. Sed ratio hujus inſtituti non alia fuit, quàm ut caveam, ne quis ſibi

pa-

patiatur ab impoſtoribus iſtis & jacta-
toribus imponi, qui cum omnia ſcire
ſe putant, amabilis tamen naturæ prin-
cipia ignorant.

Si fortè quis hâc luce, quæ mihì
monſtravit viam, illuminatus, errores
cognoſcet ſuos, non invidebo, & ſic o-
pus hoc meum ſuum ſcopum conſecu-
tum eſt, qui in emolumentum proxi-
mi, præcipuè vero honorem Dei & pa-
rare ſoleo & communicare quoq; hoc
Scripto volui. Cui Trinuni & ſoli ſit
laus, honor, & gloria per
infinita ſæcula.